



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio II. Quid cum fide tenendum stabilitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

consubstantiali Patri; asserentis tamen Spiritum Sanctum esse creaturam, ut refert D. Aug. *heresi* 52. Unde Macedoniani sunt appellati Semiariani: licet varii asserant, illum etiam male sensisse de Filio, & negasse, eum esse Patri consubstantiali, ut ait Sozomen. *lib. 7. historia cap. 2. Theodoret. lib. 4. hereticar. fabular. de Macedonian. & lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 6. & alii.*

27. Quintus error est Tritheistarum, quorum primus fuit Valentinus Gentilis Italus, de quo P. Bel-larm. in *presat. ad lib. de Christo tom. 1. & quem pos-* tea hujus farinae alii secuti sunt negantes unitatem numericam Naturæ divinæ, & asserentes, tres Personas divinas esse tres Deos numero distinctos. Verum hic error damnatus fuit in Concil. Nicæno, & Lateran. *cap. Firmiter, & cap. damna-* mus, de *Sum. Trinit.* ut aperte repugnans Scripturæ unicum esse Deum attestanti, ut supra diximus, & infra dicemus: imò & rationi naturali, secundum quam evidens est, non posse esse, nisi unum tantum Deum, ut alibi demonstravimus in *Met. tract. 1. d. 3. a. n. 113.*

28. Dicent: Sicut 1. Joan. 5. 7. dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt:* ita etiam dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt;* sed hi tres non sunt unum unitate simplici naturæ; ergo neque sic erunt illi tres. Respondeo primò in citato loco non dici, quod sicut Spiritus, aqua, & sanguis sunt unum, ita sint unum Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, sed aliter hi, & aliter illi sunt unum. Secundò ex illo loco non probari efficaciter unitatem Personarum in una Essentia, sed aliundè ut patet ex illo: *Dominus Deus noster, Deus unus est:* & ex aliis infra citandis. Tertiò, quia ut notavit P. Vasq. d. 109. cap. 2. n. 12. illud: *& hi tres unum sunt:* cum sermo est de Spiritu, aqua, & sanguine, in multis vulgaris codicibus non haberi, Quia tamen in græcis omnibus, & communiter in latinis vulgaris reperitur, dicendum aliter haberi, cum de Spiritu, aqua, & sanguine dicitur, nam in græco legitur sic: *& hi tres unum sunt;* id est in unum testimonium: at verò de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicitur: *Et hi tres unum sunt:* ut indicaret, tres illos in terra esse tantum unum testimonio; hos autem tres in cælo esse unum, non solum testimonio, sed etiam naturæ, & essentia.

29. Sextus error est Anastasii Imperatoris asserentis in Deo esse quaternitatem Personarum, qui cum hunc errorem populis credendum imperaverit, fulgure de cælo tactus interiit. Est autem hic error expressè contra Scripturam, Concilia, & Sanctos Patres; siquidem quatenus definiunt, esse tantum tres Personas, à Trinitate excludunt evidenter quaternitatem, ut bene ostendit, & eruditè P. Ruiz d. 31. Hi sunt præcipui, & capitales errores in hac materia, qui ex infra dicendis plenius refutabuntur. De aliis, qui his sunt annexi, nempe quod Filius non sit Verbum: quod ejus generatio non sit vera generatio: quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, ut olim dicebant Græci, & similes, suis in locis commodius agendum erit. Nunc sit:

SECTIO II.

Quid cum Fide tenendum stabilietur, & firmatur.



UAMVIS jam, & si breviter, dixerimus, quid de hoc Mysterio fides doceat, contra hos tamen errores fides nostra de eodem mysterio longiori calamo stabilietur, ut longè certior videatur. Cum autem in hoc mysterio doceat fides unum Deum, & tres Personas realiter distinctas, quarum qualibet sit unus, & idem Deus, in hac, & sequentibus Sectionibus de Unitate Naturæ, & Personarum Divinitate; de earum autem numero, ac distinctione aliqua hic dicemus, reliqua verò ad sua loca reservabimus. Igitur:

Dico 1. Deus, sive Natura divina est una numero, & planè indivisa. Est de fide contra Peratas, Philoponum, Joachimum, & hujus temporis Tritheitas, ut habetur in Concil. Nicæno Lateran. in *cap. damnamus*, & in symbolo D. Athanasii. Probatur primò ex Scripturis Deuter. 4. ibi: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et cap. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non est alius præter me;* falsò autem diceret se esse unum, & solum Deum, & præter se non esse alium; si alia individua invenirentur ejusdem speciei; ergo &c.

Probatur secundò ex eadem Scriptura 1. Reg. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te.* Et 3. Reg. 8. *Deus Israël, non est similis tui Deus in cælo desuper, neque in terra deorsum;* si autem essent duæ naturæ sub eadem specie, Deus haberet alium similem. Et psal. 17. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum.* Et psal. 82. *Tu solus altissimus in omni terra.* Et psal. 85. *Tu es Deus solus.* Et Isai. 43. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit, Ego sum: ego sum Dominus, & absque me nō est Deus.* Et cap. 45. *Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus.* Et infra: *Deus justus, & salvans non est præter me.* Et Sapient. 12. *Non enim est alius Deus, quam tu.* Et Eccles. 1. *Unus est altissimus.* Et Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et Marc. 12. *Unus est Deus, & non est alius præter eum.* Et Joan. 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum.* Et 1. Cor. 8. *Scimus quod nullus est Deus, nisi unus.* Et ad Galat. 3. *Deus autem unus est.* Et Ephes. 4. *Unus Deus, & Pater omnium.* Et 1. Tim. 2. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum.* Et 1. Tim. 6. *Qui solus est potens Rex Regum, & Dominus dominantium, & sæpè alibi: ex quibus omnibus, & singulis locis aperte colligitur, unum numero, non autem specie esse verum Deum.*

Confirmatur primò, quia de uno aliquo homine non rectè dicimus, *Iste est solus homo: iste solus est verus homo: præter istum nullus est homo: iste homo, & nemo alius;* sed idè sic non rectè dicimus, quia natura humana non est in uno solo individuo, sed in multis; ergo quia id de Deo rectè dicimus, Natura divina est una numero, & individua. Secundò, quia de Sole, cui una tantum natura individua est, rectè dicimus: *Iste solus est verus Sol: unus est in mundo Sol: præter eum non est alius Sol;* ergo quia ita de Deo dicimus, rectè colligitur, eum habere Naturam Unam numero singularem, & individua.

Z z 2

Proba-

54. Probatur tertio ex Sanctis Patribus ex D. Athan. in Symbol. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Et D. Cyril. lib. 9. in Joann. cap. 30. Eadem substantia Deitatis est, quare non tres, sed unum Deum predicamus. Et D. Aug. lib. 2. contra Maximin. cap. 1. Tene, inquit, cum catholica fide, Patrem quidem non esse, qui Filius est; & Filium non esse, qui Pater est. At Deum esse Patrem, & Deum esse Filium; verumtamen ambos simul, non duos Deos esse, sed unum. Et D. Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. Deus in Deo est, sed non duo Dii. Et D. Nazian. orat. 3. de Theolog. Tria hæc, inquit, unum, si divinitatem spectes; & unum tria, si proprietatum rationem habeas. Et D. Nyssen. lib. de Trinit. ad Eucharistiam. In multitudinem, ait, extendere numerum Deitatum, eorum dumtaxat est, qui laborant errore multitudinis Deorum. Et Concil. Toletan. 11. cap. 1. In relationibus personarum numerus cernitur; in Divinitatis vero Substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Idem habent Hormisdas in Epist. ad Iustin. cap. 2. Anastasius Antiochen. lib. 1. de rest. dogmat. D. Iustin. lib. de Monarch. Dei. Athenagor. Apolog. pro Christo. D. August. lib. 7. de Trinit. cap. ult. D. Basil. orat. contr. Sabellium. D. Irenæus lib. 2. cap. 5. Tertul. in Apolog. cap. 17. D. Cyprian. tr. 4. de unit. idol. Arnob. lib. 2. & 3. contr. gent. D. Lactant. lib. 1. cap. 3. Euseb. lib. 11. preparat. cap. 9. Theodoret. lib. 2. de curam. grac. affect. quoram plures hoc idem probant ex gentilibus Philosophis, & Poëtis, qui etiam unum solum Deum agnoverunt, & coluerunt.
35. Probatur quarto rationibus: Prima, quia Deus est summum ens, ut patet Exod. 3. Ego sum, qui sum; sed unum est passio entis, & quod aliquid est magis ens, est etiam magis unum; ergo Deus, cum sit summum ens, est etiam summè unus. Confirmatur, quia quod aliquid perfectius habet esse, eò longius abest à non esse; consequenterque à divisione, quæ est via ad non esse; ergo Deus est unus unitate numericâ, cum hæc sit maxima, & ulterius non divisibilis.
36. Secunda, quia Deus est suum esse, ut patet, tum ex illo: Ego sum, qui sum: tum quia Deus communi omnium consensu caret compositione, sive partibus, ex quibus sit, & componatur; sed esse proprium unius non potest ullo modo dividi, ut pluribus conveniat; ergo cum esse hujus Dei sit ipsa essentia Dei; illud autem non sit divisibile, neque sic divisibilis est ipsa essentia Dei in plures; consequenterque Deus est unus in essentiâ indivisibili, sive numericè.
37. Tertia, quia Deus est altissimus juxta illud psal. 82. Tu solus altissimus; ergo unus tantum; alioqui si plures, aut essent æquæ alti; & tunc nullus esset supra omnes: aut unus altior cæteris; & tunc solus ille esset unus Deus verus, quia solus altissimus.
38. Quarta, quia Deus est ultimus finis omnium rerum Prov. 16. Universa propter semetipsum operantur est Dominus. Et Apoc. 1. 8. & 22. 13. Ego sum principium, & finis; ergo unus tantum est Deus; alioqui si plures, aut omnes referrentur ad unum, & tunc ille tantum esset verus Deus: aut non, & tunc nullus esset omnium ultimus finis; consequenterque neque verus Deus.
39. Quinta, quia Deus est infinitus in essentiâ, potentia, sapientiâ, &c. ergo unus numero, cum infinitum omnia comprehendat juxta illud psal. 144. Et magnitudinis ejus non est numerus. Confirmatur, quia si Natura divina posset multiplicari, & communicari pluribus; aut sic communicaretur liberè;

aut necessariò: Si primum; ergo illa individua liberè existerent, possentque non existere, & haberent esse ab alio, illudque contingens, quod Deo repugnat; consequenterque nullum esset Deus: Si secundum; ergo essent infiniti Dii; cum enim communicaretur necessariò, & non sit assignabilis certus numerus individuorum, quibus solum communicaretur, necessariò communicaretur in infinitum, sicque infiniti essent Dii; quod non est dicendum. Neque dicas communicari tantum uni, aut duobus; de hoc enim quaeritur ratio, & nulla est, cur potius his, quam aliis communicetur, cum omnibus necessariò communicanda esset, ut supponimus.

Sexta, quia si essent plures Dii; aut omnes sine principio; aut unus ab alio: Non primum; alioqui jam essent plura principia prima, quod est impossibile, ut alibi demonstravimus; & cum essent disparata, in varias partes mundum distraherent, neque enim necessariò convenirent in una, & eadem voluntate, sed posset unus unum, & alius aliud velle: Si secundum, aut esset ab alio per creationem; & tunc jam esset creatura, & non Deus: aut per generationem, & tunc, aut dedit totam substantiam, aut partem; si partem; ergo partibilis Deus: Si totum; ergo non habet eandem deitatem numero.

Septima, quia Deus est Rector Mundi Sapientia. Tua autem, Pater, providentia cuncta gubernat, sed simplex Monarchia est optimum regimen, quando inveniri potest Princeps bonus, sapiens, & justus, qualis est Deus, ut patet omnium consensu, & docent plures tum Christiani, ut D. Iustin. D. Cyprian. D. Chrysost. & D. Greg. tum Judæi, ut Philo. tum etiam Gentiles, ut Plato, Aristot. Plutarch. Homer. & alii; ergo Deus Monarcha est, id est unus, & solus summus Princeps omnium rerum creaturarum; consequenterque unus, & solus verus Deus. Vide in Met. tract. 1. d. 3. à n. 113. ubi de hoc egimus, & lumine etiam naturali demonstravimus, Deum esse unum, & aliqua apposuimus argumenta in contrarium, quæ hic non sunt repetenda.

Dico 2. Filius in divinis est verus Deus, & ejusdem numero naturæ, ac essentiæ cum Patre. Est de fide definita conclusio in pluribus Conciliis, in Concil. Nicæno 1. Constantinopolit. 1. Ephesin. 1. in Epist. ad Nestorium. Chalcedon. a. 2. in Synod. 5. cap. 1. Synod. 6. a. 17. Synod. 7. a. 7. Synod. 8. a. ult. Concil. Lateran. sub Innocent. III. & habetur in cap. Firmiter, de Sum. Trinit. Concil. Viennens. Unde extat Clement. amica de Sum. Trinit. Concil. Florent. sess. ult. & Trident. Sess. 3. definita etiam fuit ante exortam Arianæ hæresim à pluribus Pontificibus, nempe ab Anacleto Epist. 2. ad Episcopos Italia. Sixto I. Epist. ad Univers. Christi fideles. Higinio Epist. ad omnes Christ. fideles; & Marcelino Epist. ad Salomon. Episcopum. Et de fide illam tenent Sancti Patres, ex quibus infra probanda est.

Probatur primò ex variis locis tum veteris, tum novi Testamenti: Primus locus psal. 2. ibi: Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex quo sic argumentor: Dominus, de quo agit Psalmista, est verus Deus; sed hic Deus habens unam numero naturam, & essentiam, ut probavimus, in die æternitatis genuit Filium, ut ibi dicitur; Filius autem debet esse ejusdem naturæ cum generante; ergo Filius à Deo genitus debet esse ejusdem naturæ cum Deo generante; ergo Filius est verus Deus, & habet eandem naturam cum Patre.

Secundus

44. Secundus locus Isai. 48. ibi: *Ex tempore antequam fierent, ibi erant; & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*; hic autem missus non est Pater: tum quia Pater non habet, à quo mitti possit; & idem non mittitur à se ipso: tum quia Filius testatur, se esse missum à Patre Joan. 8. & ab Spiritu Sancto. Luc. 4. Sed de hoc Filio missio à Patre dicitur eodem loco: *Ego ipse, & ego primus, & ego novissimus*; manus quoque mea fundavit terram, dextera mea mensa est calos: hæc autem de solo vero Deo dicuntur; ergo Filius est verus Deus.

45. Dicitur cum Francisco David Hæretico disput. Alban. 5. verba illa: *Et nunc Dominus Deus misit me*: dicta esse ab ipso Propheta de se ipso: Primò, quia si loqueretur de Christo, Christus fuisset ante Incarnationem; cum tamen 1. Joan. 4. Spiritum Antichristi esse dicatur, qui asserit, Christum fuisse extrā, & ante carnem. Secundò, quia Paul. ad Hebr. 1. dicit, Deum novissimè locutum in Filio; ergo in isto loco non est Christus, qui loquitur, cum dicat, se à principio locutum esse. Tertiò, quia illud *ibi eram*, solet exponi à Catholicis *ibi*: id est in monte Syna; at lex dicitur data in monte Syna per Angelos, & non per Christum, ut patet ad Galat. 3.

46. Respondeo prædictas rationes nihil probare. Ad primam enim dicimus, Joannem non dixisse, Christum non fuisse ante carnem, sed Antichristum esse, qui negat Christi Incarnationem, ut eo tempore negabant Ebion, & Cherinthus: *Omnis Spiritus*, inquit, Joan. qui confiteretur *JESUM Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, & hic est Antichristus*: quid est autem solvere JESUM, nisi dividere Verbum à carne, & dicere Filium Dei non esse factum verè filium hominis? Ad secundam, D. Paulus non negat, Dei Verbum locutum ante Incarnationem, sed solum dicit ultimo tempore Deum locutum ore corporali, & voce per Filium Incarnatum, qui olim loquebatur per ora Prophetarum. Ad tertiam dicimus legem datam in Syna à Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, sed ministerio Angelorum.

47. Tertius locus ex psalm. 44. ubi de Filio dicitur: *Sedes tua Deus in seculum seculi*: hic enim dicitur Deus, non quomodocumque, sed tanquam ille, cui debetur thronus in omnem æternitatem; cui non ita deberetur, nisi esset verus Deus, & ejusdem naturæ, majestatis, & excellentiæ cum Patre.

48. Quartus locus ex psalm. 109. *Tecum principium (id est principatus) in die virtutis tue, in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te*: ubi loquitur Deus per essentiam, & dicit, se genuisse Filium ante omne tempus; ergo ab æterno; consequenterque Deum; cum nulla creatura, saltem de facto, sit ab æterno.

49. Probatur secundò ex pluribus aliis locis. Isai. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.... & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, &c.* Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et Joan. 3. dicitur Christus Filius Unigenitus. Rom. 8. *Filius proprius.* 1. Joan. 5. *Filius verus.* Coloss. 1. & Hebr. 1. *Filius Naturalis*, quatenus dicitur imago Patris, quod non convenit adoptivis. Et Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus.* Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et Joan. 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt.* Et Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Et ad Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Et 1. Joan. 5. *U-*

simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus; & vita æterna. Et Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item: *Omnia per ipsum facta sunt*: & sæpè alibi, ex quibus omnibus satis constat, Filium esse Deum verum, & ejusdem numero naturæ cum Patre.

50. Probatur tertio ex nominibus veri Dei, quia de quo affirmantur nomina veri Dei, est etiam verus Deus; sed ita affirmantur de Filio; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de vero Deo affirmantur nomina *Deus, altissimus, invisibilis, Deus gloria, Rex Regum, Dominus Dominantium*; siquidem de solo vero Deo dicitur quod sit Deus absolutè, ut ait D. Iræneus lib. 3. cap. 6. ibi: *Neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitivè, & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus*: quod sit altissimus psalm. 82. *Tu solus altissimus*: quod sit invisibilis 2. Tim. 1. *Invisibili soli Deo honor, & gloria*: quod sit Deus gloria. Actor. 7. *Deus gloria apparuit patri nostro Abrahe*: quod sit Rex Regum, & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. *Qui solus est potens Rex Regum, & Dominus dominantium*; sed hæc omnia nomina dicuntur de Filio; siquidem de illo dicitur quod sit Deus. Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*: quod sit Altissimus. Psal. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*: Et Luc. 1. *Tu Puer Propheta Altissimi vocaberis*: quod sit invisibilis: Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater*: quod sit Rex Regum, & Dominus dominantium: 1. Cor. 8. *Nobis est unus Dominus JESUS Christus*. Et Apoc. 17. *Agnus vincet illos, quoniam Rex Regum est, & Dominus dominantium*; ergo &c.

51. Probatur quartò ex attributis, qui Aternitas, Immensitas, Omnipotentia, Sapientia, Bonitas, & Majestas adoranda sunt attributa propria solius veri Dei, ut jam alibi ostendimus in *Met. tr. 1. d. 3.* sed hæc omnia Filio tribuuntur; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de Filio dicitur, quod sit Aternus. Hebr. 7. *Neque initium dierum, neque finem vite habens.* Et cap. 13. *Christus heri, & hodie, & in secula*: quod sit Immensus Baruch. 3. *Magnus est, & non habens finem, excelsus, & immensus*: Et infra. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: quod sit Omnipotens Apoc. 11. *Gratias tibi agimus Domine Deus Omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es*: quod sit Sapiens 1. Cor. 1. *Christum Dei sapientiam*: quod sit Bonus Matt. 23. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*: quod habeat Majestatem adorandam Hebr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus*; ergo &c.

52. Probatur quintò ex operibus, quia Creatio, Conservatio, Salvatio, Prædictio futurorum, & patratio miraculorum sunt opera propria solius veri Dei; sed hæc omnia tribuuntur Filio; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de Filio dicitur creare Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: conservare Actor. 7. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*: Et Hebr. 1. *Qui portat omnia verbo virtutis sue*: salvare Isai. 35. *Deus ipse venit, & salvabit nos*: Et Matt. 1. *Ipsè salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: prædicere futura Joan. 13. *Hodie dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quid ego sum*: patrare miracula propria virtute, & auctoritate Marc. 8. *Dixit mari, tace, obmutescit*: & idem habet cap. 9. ergo &c.

53. Probatur sextò ex Patribus, D. Clement. lib. 8. constitut. cap. 18. *Tibi, inquit, omnis gloria, & honor, & adoratio Patri, & semper Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & in omnia secula seculorum.* Ecce D. Dionys. lib. de divin. nomin. cap. 1. *In omni sermone Theologica tractatione summam divinitatem sanctæ*

celebrari vidimus, ut singularem quidem, atque Unitatem propter simplicitatem, & unitatem illam impartibilem, ut Trinitatem vero propter superessentialis secunditatis in suppositis tribus expressionem. Et D. Ignat. epi. ad Antiochen. Omnis, ait, qui annuntiat unum solum Deum, & tollit Christi divinitatem, is diabolus est, & hostis omnis iustitiae. Idem habent D. Justin. lib. de recta fidei explicat. in Apolog. ad Senatum. & in Apolog. ad Anton. D. Irenaeus lib. 3. cap. 6. 8. 12. 16. & 20. Orig. lib. 7. epist. ad Rom. cap. 9. Tertul. lib. 4. in Marcionem, & lib. contra Praxeam, D. Cyprian. tract. de Idolol. vanit. & lib. 2. ad Quirinum cap. 6. D. Athan. D. Basil. D. Nazian. D. Nyssen. D. Cyril. Hierosolymit. D. Hilar. D. Ambr. Theodoret. D. Gaudent. D. Hieron. D. Aug. D. Prosper. D. Leo. & alii plures, qui videri possunt apud P. Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 10. per totum.

SECTIO III.

Proponuntur, & solvuntur argumenta contra Filii divinitatem.

54. RGUITUR 1. ex Sacra Pagina, Christus Dominus cuidam interroganti, Luc. 18. Magister bone, quid faciens vitam aeternam possideo: respondit: Quid me dicis bonum, nemo bonus, nisi solus Deus; ergo videtur indicare, se non esse Deum; consequenterque Filium Dei non esse verum Deum. Respondeo negando consequentiam; solum enim declaravit opinionem Pharisei interrogantis, qui illum existimabat solum hominem, quasi dicat, cum nihil in me supra hominem agnoscas, non potes merito me bonum appellare, cum nemo bonus praeter Deum; quod autem id non dixisset ex propria sententia patet Joan. 10. ubi dicit: Ego sum Pastor bonus.

55. ARGUITUR 2. Ioan. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt; ubi videtur significari, Deum omnia fecisse per Filium, tanquam per instrumentum; siquidem particula per designat causam instrumentalem; sed instrumentum non est aequale ei, cuius est instrumentum; ergo Filius non est ejusdem potentiae, & naturae cum Patre; consequenterque neque verus Deus. Respondeo negando majorem, & ejus probationem, quae universaliter non est vera, ut patet ad Rom. 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ad Galat. 4. Si Filius, & haeres per Deum. Et 1. Cor. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus: Quibus, & pluribus aliis locis particula per nullo modo significat causam instrumentalem; imò neque soli Filio, sed etiam Patri tribuitur, ut patet loco citato ad Corinthios; sicque ex eo, quod omnia dicantur facta per Filium, non licet colligere, eum autem esse Patris instrumentum, aut Patre inferiorem.

56. Dices Ioan. 5. 19. dicitur: Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; ergo videtur Filius virtute Patris operari, ut ejus instrumentum. Respondeo negando consequentiam: non enim id dicitur, quia Filius sit Patre potentia inferior, sed ut insinuet Christus suam originem, & potentiam habere à Patre communicatam; sic enim dicitur de Spiritu Sancto Ioan. 16. Non enim loquetur à semet ipso, sed quaecumque audierit loquetur: nam id dicitur, quia per aeternam processionem accepit, quidquid loquitur. Neque obstat, quod dicatur de futuro, quaecumque audierit; sic enim dicitur, tum ut sermo sit accommodatus ad verbum loquetur, sicque futurum futuro res-

pondeat: tum etiam, ut ostendatur processio-nem Spiritus Sancti non ita finiri, ut ullo unquam tempore concipiatur finita.

ARGUITUR 3. Ioan. 17. dicitur: Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum; ergo videtur insinuare, se Filium non esse verum Deum. Respondeo negando consequentiam; particula enim exclusiva solum non excludit alias Personas, sed tantum creaturas, quasi dicat, hæc est vita aeterna, id est ratio ad vitam aeternam perveniendi, ut cognoscant te solum verum Deum, id est, qui solus habes veram divinitatem; alii enim, qui fingi possunt Dei non habent veram deitatem. Patet, quia quando in divinis aliquod prædicatum essentiale tribuitur uni Personae, non excluduntur aliae, sic enim cum de Patre dicitur qui solus habet immortalitatem, non excluduntur aliae Personae, sed solum creaturae.

ARGUITUR 4. Christus Dominus dicit Ioan. 14. Pater major me est. Et 1. Cor. 15. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia; ergo cum dicat se minorem, & subiectum Patri, non est ei aequalis; consequenterque neque verus Deus. Respondeo negando consequentiam; hæc enim & similes sententiae intelliguntur de Christo secundum humanitatem, secundum quam est minor Patre, & subiectus.

ARGUITUR 5. Variis Scripturae locis Filius dicitur missus à Patre: qui autem mittitur inferior est illo, à quo mittitur; ergo &c. Respondeo Filium dici missum à Patre, & illo inferiorem secundum humanitatem, secundum quam & à Patre, & à seipso, & ab Spiritu Sancto missus est. Accedit, quod licet intelligatur de missione secundum Naturam divinitatem, non idcirco arguitur inaequalitas in Filio respectu Patris, cum non sit per imperium, ut superior mittit inferiorem, sed ratione originis, secundum quam Persona procedens dicitur productam mittere, de quo infra.

ARGUITUR 6. Ioan. 1. dicitur: Qui post me venturus est, ante me factus est; Ubi dicitur, Filium Dei esse factum; ergo est creatura, quæ solum facta dicitur; consequenterque non est verus Deus. Respondeo negando antecedens; neque enim ex prædicta sententia colligitur, Filium Dei esse factum, sed tantum Christum Ioanni esse prælatum, quod Ioannes, cuius est sententia, intendebat, quasi diceret, post me veniet, qui mihi præferetur, imò qui jam à Deo mihi est prælatus, cuius ego tantum sum præcursor; cum enim sit Messias, & Deus, merito mihi præfertur, quia prior me erat ab aeterno apud Patrem existens. Idem dicendum ad illud Hebr. 1. 4. Tanto melior Angelis effectus, si ad Christum hominem referamus.

ARGUITUR 7. Proverb. 8. ubi nos habemus: Dominus possedit me: Septuaginta vertunt: Dominus creavit me; ergo Sapientia divina, sive Filius Dei, de quo hic est sermo, est quid creatum; consequenterque non est verus Deus. Respondeo in Hebræo non haberi creavit, sed possedit, quod interdum significat gignere, ut patet Gen. 4. Possedit hominem per Deum. Et adhuc retentâ lectione Septuaginta, non conficitur, Filium esse creaturam proprie dictam; siquidem verbum creare potest significare gignere; sic enim parens dicitur prolem procreare, id est gignere; & sic dicendum, Septuaginta ibi usurpasse creavit pro genuit, quasi Sapientia divina genita voluerit significare: me tanquam Filium procreavit, id est genuit, ex eo tanquam primogenitus prodivante omnem creaturam.

ARGUITUR